





22

1730, 21

FACVLTATIS IVRIDICÆ
DECANVS,
JO. PHILIPPVS
Streit, JCVS,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-
RIVS REGIMINIS,

L. B. S.

ERFORDIÆ,
Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.




FACULTATIS JURIDICAE
DECANVS
JO. PHILIPPVS
CIVIS

EMINENTISSIMI AC FERENISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MONTANI CONSILIA
RIVS REGIMINIS

L. B. 3

FRANKFURT
Typis GROSCHANS, Acad. Typogr.



Series tota tituli Pandectarum, de rebus eorum qui sub tutela vel cura sunt, sine decreto non alienandis vel supponendis. In oratione Severi Imperatoris, quam Ulpianus in L. 1. §. 1. d. z. recitat, continetur. De illo Historici scribunt, quod fuerit

homo militari scientiâ, audaciâ, solertiâ, laborum patientiâ, sobrietate, ingenii acumine, literarum petitiâ, bellis prospere gestis, & scripto a se digestis, JULIO Cæsari haud inferior; sed qui immodicis tum clarissimorum civium, tum insontium Christianorum cædibus, laudes suas sic corruptit, ut Sylla Punicus a quibusdam dici, ab aliis autem verus Imperator nominis sui, verè pertinax meruerit nuncupari. Judicatum etiam a senatu, aut nasci nunquam eum debuisset, aut nunquam mori, quod & crudelis nimium, & firmando Reipublicæ nutantis statui pernecessarius extitisset. In hoc tamen laudandus, quod in dicta sua oratione utilitatem pupillorum respexerit singularem; naturali enim juri conveniens est, ut, qui perfectæ ætatis non sunt, nec se suaque dirigere, nec sibi prospicere possunt,

funt, alterius tutelâ regantur. *§. impuberes, inst. de Atrilian. tut.* Pupillaris verò ætatis tres sunt gradus. Primum infans occupat: alterum infantia proximus: tertium pubertati proximus. Infans jure naturæ dicitur, qui nondum habet tantum rationis usum, ut bonum a malo distinguere sufficienter possit. Jure civili infans dicitur, qui nondum complevit annum septimum. *L. 18. Cod. de jur. delib. L. 1. §. 2. ff. de administ. tut. L. 14. ff. de spons.* Quis verò dicatur infantia proximus, quis pubertati non una omnium est sententia; probabilior videtur illorum esse, qui judicis arbitrio æstimandum id relinquunt, ac ex moribus, ex ante actâ vitâ, ex capto & astutia dimetiendum existimant. *Zaf. ad instit. in addit. §. si inter. de auctor. tut.* Circa quam materiam multæ occurrunt quæstiones, an scilicet infans, natura talis ex contractu verè tali obligari possit? An solo jure civilitalis, stando injure naturæ, possit contrahere & contrahendo obligari? An infans sola lege civilitalis, etiam jure positivo possit contrahere, & contrahendo obligari, si tutoris auctoritas accedat? vid. *Zaf. ad ff. de oblig. & act. n. 46. seqq.* Quod autem infantia major, seu pupillus, accedente auctoritate tutoris, inire possit omnis generis contractus, sive dein sit proximus infantia, sive pubertati, probatur ex *§. 9. inst. de inutil. stipul. L. 9. ff. de acquir. hered. L. 1. §. 13. ff. de obl. & act. L. 6. ff. Rem pupill. salvo. for. & L. 5. ff. de R. I.* In quibus locis traditur, benignè receptum esse, ut is, qui fari potest, & stipulari, & promittere, & hæreditatem adire, & omnia gerere, tutore authore, possit. Quamvis autem in iisdem locis dicatur de proximo infantia, quod intellectum nullum habeat, quod nihil sciat, aut discernat, quod non intelligat, quæ agit; id tamen eo sensu intel-
ligen-

legendum est, quod intellectu tam firmo instructus non sit, ut perfectione assequatur omnia, quæ agit: alias enim ne tutore quidem authore agere quicquam posset. Deinde, major annis septem contrahere potest sponsalia, *L. 14. ff. de Sponsal.* ergo supponitur habere tantum rationis usum, ut intelligat, quid agat, quia sine delib. rato Consensu valere non possunt sponsalia. Dixi, tutore authore, hujus enim auctoritate deficiente pupillus, sive sit infantia, sive pubertati proximus, locupletior non effectus, ne quidem obligatur naturaliter, obligatione verâ, *L. 45. ff. de cond. indeb. & L. 59. ff. de Oblig. & Act.* In quibus locis traditur, ne quidem naturâ pupillum obligari, si absque tutore contrahat, neque distinguitur, sitne pubertati proximus, an infantia, ergo nec nos debemus hoc modo distinguere. Quod confirmatur *ex princ. inst. de auth. tut. & L. 13. §. 29. ff. de act. empr.* In quibus locis etiam absolute dicitur, non obligari pupillum, si absque tutore contrahat: ergo conficta est distinctio, quæ pupillum infantia proximum, separat a proximo pubertati. Obligatur tamen Pupillus sine tutore contrahens, nec locupletior factus, naturaliter, obligatione saltem fictâ. Fingunt enim jura in pupillo obligationem naturalem, in ordine ad tertium. Nam si fidejussor pro pupillo interveniat, obligatur: neque enim erat, cur huic jura succurrerent, cum eodem favore non sit dignus, quo ipse Pupillus *L. 127. ff. de verb. oblig.* Si obligationem alienam, novatione factâ, Pupillus in se transferat, tenet novatio: sibi enim imputet, qui passus est Pupillum sibi delegari. *L. 1. §. 1. ff. de novat.* Si pecuniæ Pupillo creditæ, legatæ sint sub conditione: *Si Pupillus illas solverit:* solutione secutâ, tenet legatum, ac præstandum est ab hærede: huic
X 3
enim

enim nolunt jura suffragari, si conditio extiterit, sub qua relictum fuit *L. 25. §. 1. ff. quand. dies leg. ced.* Si Pupillo legatum sit adscriptum, sub conditione, si pecunias solverit, sine tutore creditas, tenetur hæres solutas impurare in falcidiam: in hujus enim dispendium fingitur Pupillus fuisse obligatus, esto non fuerit. *L. 44. ff. de solutio.* Fingitur igitur in pupillo contrahente obligatio naturalis in ordine ad tertium. Quamvis verò oratio Severi primariò, de prædiis non alienandis loquatur, extensa tamen etiam est ad res mobiles, quæ servando servari possunt. *L. 22. Cod. de admin. tutor.* Plura de hisce occasione dict. *L. 1. ff. de reb. eor., qui sub tutel. vel cur. sunt, sin. Decret. non alien. vel suppon.* ex Cathedra proponet

NOBILIS ET CLARISSIMVS
DOMINVS
JOANNES FRIDERICVS

König

Campoduno-Suevus,

Natus Campoduni die septimo Maji 1706. Patre Prænobili & consultissimo BARTHOLOMÆO KÖENIGIO, J. V. D. & ejusdem civitatis Campodinentis Syndico, qui ante decem annos pie in Domino obdormivit, Matre vero ELISABETHA EX STRIPE KESELIANA, prognatâ, quam Deus sospitem adhuc inter vivos diu conservare velit, exoptat. Hi prædicti Parentes præfatum Candidatum nostrum, ut ipse Nobis retulit, variis Præceptoribus & Viris Eruditione Claris, & quidem inter eos, Viro dexterrimo JACOBO ZELLERO, Scholæ Campidonensis quondam Rectori, nunc verò Diacono Ecclesiæ S. Magni Vigilantissimo, ut eum hu-

manio.

manioribus erudirent, tradidère; Quorum Dominorum Præceptorum in informando diligentiam & fidelitatem gratâ ad hunc usque diem agnoscit mente. Præprimis verò multa, nisi fere omnia se debere fateatur, Viro Summe Venerabili Dn. JACOBO KESELIO, Rev. Ministerii Seniori, Avunculo suo, Parentis loco ad cineres usque devenerando. Hic enim eum per continuum trium annorum spatium, privatos inter parites in principiis ad latinitatem Solidioribus & artibus ad humanitatem spectantibus fidelissime ita informavit, ut altiora cogitans A. C. M D C C X X I I . mense Aprili ad Universitatem Jenensem ad haurienda Philosophiæ & Iprudentiæ fundamenta sese contulerit. Quem in finem ibidem primo semestri Celeberrimum JO. CHRISTIANVM SCHROETERVM Institutiones Jur. publicè explanantem, nec non Dn. JOHANNEM JACOBVM SYRBIVM P. P. Instit. Philosophiæ Imæ, ab ipso in lucem editæ tradentem, atque Dn. MARTINVM SCHMEIZELIVM sua præcognita Historiæ Civil. exponentem audivit. Secundo semestri Ab Eodem MARTINO SCHMEIZELIO, Historiam Germaniæ excepit, cui junxit prælectiones in instituta Viri Amplissimi JO. WILH. DITMARI Sereniff. Princ. Vinariens. Consilarii, nec non collegium in Monzambanum, Illustris GOTTHELFF STRUVII, Consilarii Baruthensis. Tertio semestri JO. MICHAELIS LANGGVTHII Jcti Consilarii Aulici & Consist. Sax. Ducal. doctrinam in Henrici Coccei hypomnemata Juris feudalis, Struvii in Jurisprud. Rom. Germ. forensẽ & insuper Hugonis Grotii, ad Tractatum de J. B. & P. lectiones, ea, qua decet diligentia, hausit. Quarto semestri Collegio in Cautelas Thomasiãas, GOTTLIBII
STOL-

STOLLII P. P. O. item ejusdem traditionibus, in li-
brum cui titulus est: *Kunst zu leben und zu herschen*,
nec non MARTINI SCHMEIZELII lectionibus Heral-
dicis interfuit. Quintum semestre iteratâ vice in au-
diendo Digesta, & Instit. J. Can. apud productum
LANGGVTHIVM. Sextum semestre in frequentando,
JO. FRIDERICI TEICHMEYERI P. Med. O. in suam
medicinam legalem, & ipsius physicam experimenta-
lem, præterea in addiscendo Jurispubl. fundamenta,
apud memoratum LANGGVTHIVM & denique septi-
mum Semestre, in repetendo Pandectas & jus feudale,
juncto jure Germanico in Georgii Bayeri delineationem
Juris German. docente eodem LANGGVTHIO insigni
cum fructu consumsit. Tandem nos accessit, & ad
Candidatorum juris examen rigorosum admitti petiit,
admissus, Textus ex utroque jure assignatos ita resolvit,
& ad quaestiones propositas ita respondit, ut unanimi
consensu ad ulteriora specimina porta ei aperta sit,
Proximâ itaque Mercurii, quæ erit X. Maji, horis consu-
etis Lectionem cursoriam ad dict. *L. I. de reb. eorum,*
qui sub tutela vel cur. sunt, fin. Decret. non alien. vel suppon.
& postea Disputationem Inauguralem de DIFFEREN-
TIIS FEVDORVM HÆREDITARIORVM ATQVE
EX PACTO ET PROVIDENTIA TALIVM, habebit.
Ad quos actus solennes Magnificus Dominus Rector,
Domini Proceres & Cives Academici, eâ quâ Parest
observantiâ, invitantur. Publicatum sub Sigillo Facul-
tatis Juridicæ. VII. Maji MDCCXXX.

(L. S.)

ERFURT, Diss., 1730 (1)

ULB Halle


003 749 266

3



TA → OL





22

1730, 21

FACULTATIS JURIDICÆ
DECANVS,
JO. PHILIPPVS
*S*treit, JCTVS,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-
RIVS REGIMINIS,

L. B. S.

ERFORDIÆ,
Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.